



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XLVII. Quod omnia gravia pro æterna vita sunt toleranda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

tia pro defensione latentis conscientiae.

Etsi nihil mihi conscius sum, tamen ex hoc justificare me non possum: quia remota misericordia tua, *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

CAPUT XLVII.

Quod omnia gravia pro aeterna vita sunt toleranda.

I. Fili, non te frangant labores, quos assumpsisti propter me, nec tribulationes te dejiciant usquequaque; sed mea promissio in omni eventu te roboret, & consoletur.

Ego sufficiens sum ad reddendum supra omnem modum & mensuram.

Non diu hic laborabis, nec semper gravaberis doloribus.

Expecta paulisper, & videbis celerem finem malorum.

Veniet una hora, quando cessabit omnis labor & tumultus.

Modicum est & breve omne, quod transit cum tempore.

2. Age, quod agis: fideliter labora in vinea mea, ego ero merces tua.

Scribe, lege, canta, geme, tace ora, sustine viriliter contraria: digna est his omnibus vita æterna, & majoribus præliis.

Veniet pax in die una, quæ nota est Domino: & erit non dies, neque nox, hujus scilicet temporis, sed lux perpetua, claritas infinita, pax firma, requies secura.

Non dices tunc? *Quis me liberavit de corpore mortis hujus?* Neque clamabis: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est!* quoniam præcipitabitur mors, & salus erit indefectiva; anxietas nulla, jucunditas beata, societas dulcis & decora.

3. O si vidisses Sanctorum in cælo coronas perpetuas, quanta quoque nunc exultant gloria, qui huic mundo olim contemptibiles, & quasi vita ipsa indigni putabantur! profecto te statim humiliares usque ad

ter-

terram, & affectares potius omnibus
subesse, quam uni præesse.

Nec hujus vitæ lætos dies conspi-
ceres, sed magis pro Deo tribulari
gauderis: & pro nihilo inter homi-
nes computari maximum lucrum du-
ceres.

4. O si tibi hæc scaperent, & pro-
funde ad cor transfirent, quomodo
auderes vel semel conqueri?

Nonne pro vita æterna cuncta la-
boriosa sunt toleranda?

Non est parvum quid, perdere,
aut lucrari regnum Dei.

Leva igitur faciem tuam in cœ-
lum. Ecce ego, & omnes Sancti
mei mecum, qui in hoc seculo ma-
gnum habuere certamen, modo gau-
dent, modo consolantur, modo se-
curi sunt, modo requiescunt, & sine
fine mecum in regno Patris mei per-
manebunt.